



Fr. FRANCISCUS XAVERIUS  
 Vazquez, Peruanus, Sacrae Theologiae Magis-  
 ter, Universi Ordinis Fratrum Eremitarum  
 S. P. Augustini Prior Generalis, & Commis-  
 sarius Apostolicus.

*VENERABILIBUS, AC NOBIS IN CHRISTO  
 dilectis Patribus Provincialibus Provinciae Hispaniarum,  
 ac Indiarum nostri ejusdem Ordinis, salutem  
 in Domino sempiternam.*

**E**Xeunte anno 1766. literas nostras dedimus, Patres in  
 Christo dilectissimi, formam vobis praescribentes, qua  
 vestros respectivè subditos dirigi oportebat ad exactam  
 Regalis decreti observantiam occasione popularis seditio-  
 nis die 23. Martii ejusdem anni Matriti excitatae, eo consilio à Supre-  
 mo Castellae Senatu provide lati, ut qui Ecclesiae servitio man-  
 cipati sumus, nostri recordaremur debiti, quo ad proximos  
 nostros verbo, & opere instruendos, ac aedificandos, in tali-  
 bus potissimum popularium perturbationum circumstantiis, ma-  
 ximoperè urgemur.

Nunc iterum ad vos scribendi argumentum praebet Pragma-  
 tica Sanctio die 2. Aprilis currentis anni 1767. lata, qua justis-  
 simus, ac clementissimus Rex, & Dominus noster Carolus III.  
 ob gravissimas sibi notas rationes, post maturum, atque ac-  
 curatum rerum examen, Regalis sui Consilii, aliorumque am-  
 plitudine, ac sapientia illustrium Virorum judicio innixus, Re-  
 gulares Societatis Jesuitarum ex omnibus suis Regnis, ac Ditioni-  
 bus ea lege, ut nunquam imposterum in iis consistere valeant,  
 expellit: ac simul nobis omnibus suis subditis cum iisdem com-  
 municationem prohibet, & ne quidquam vel scribendo, vel  
 disserendo, sive pro, sive contra Regalem hanc deliberationem  
 proferatur, praecipit.

Quamquam Nobis persuasum habeamus, solam hujusmodi  
 Regiae Sanctiois scientiam abunde vobis sufficere, ut in omni-  
 bus diligenter pareatis: quoniam autem Regularium Superiori-  
 bus à Majestate Sua demandatur, ut suarum Regalium jussio-  
 num invigilent executioni: vobis omnibus per meritum saluta-  
 ris obedientiae praecipimus, & mandamus, ut aequissima rega-  
 lia jura sancita vestris subditis omni sollicitudine nota faciatis, ne  
 vel ex ignorantia, aut ex imprudentia quidquam agant, quod  
 vel leviter regiam mereatur indignationem; quod si forte acci-  
 deret, non modo animum nostrum acerbissimo dolore saucia-  
 ret,

ret, sed & nos contra naturalem cordis nostri inclinationem, ac paternum, quo filios nostros complectimur amorem, ad eosdem severissimis pœnis coercendos adigeret.

Cum itaque omnis communicatio cum præmemoratis Regularibus nobis Pragmatica Sanctione inhibeatur, nullum ex ipsis cujuscumque conditionis, vel dignitatis existat familiariter conversari debemus nec sub prætextu quidem spiritualis fraternitatis contractæ per schedas vulgò *Familiaritates* dictas, quæ à Superioribus Regularium Ordinum Generalibus concedi solent, uti & nos ipsi easdem dare petentibus consuevimus; quæ profecto nec aliud quidquam valent, aut valere possunt, nisi quod Generalis intentionem testantur, qua bonorum operum, orationum, omniumque exercitiorum spiritualium, quæ in suo Ordine peraguntur, fideles proximos vult esse participes. Verum quia per Pragmaticam Sanctionem læsæ Majestatis pœnis obnoxii declarantur, qui prædictas *Familiaritatis* schedas à Præposito Generali prælaudatæ Societatis tenent, aut tenere procurent: jure merito existimamus gravem aliquem in hanc piam alioquin Ecclesiæ praxim abusum irrepsisse, qui magnis adeò pœnis exigat coerceri, & propterea omni studio à nobis præcaveatur oportet.

Hujusce verò regalis inhibitionis observantiæ ea omnia humanitatis officia, quæ erga proximos nostros caritate christiana exercere jubemur, opus est ut jungamus, uti raro exemplo pientissimus Rex noster servari voluit, dum prædictos Regulares ex suis Regnis expellens, manifesta suæ regalis beneficiæ argumenta erga ipsos præstitit, omnia vitæ commoda eis profusissima suppeditans liberalitate, & nobis item eos commendans, quos regali suo jussu ad nostros Conventus amandavit, ut ex nostra conversatione consolationem recipiant, & beneficam experiantur humanitatem.

Hæc præcepta sollicita cura custodientes altum item oportet, ut circa latas Sanctiones silentium observare faciatis, subditos vestros commonentes solam earundem promulgationis notitiam satis cuique esse debere, ut perpetuum de eis silentium observet; nefas enim est nobis subditis rationes, quæ animum regium ad legem ferendam impulerunt vestigare, nec regalis ejusdem æquitas nostris indiget apologiis.

Regalium itaque jussionum observantiam omni cura à vestris subditis exquirentes, id etiam ad ipsorum considerationem revocetis oportet; quanta scilicet benignitate, & clementia Majestas Sua nostrum inter cetera Instituta religiosa dignata sit recensere, quæ sua fidelitate, doctrina, atque vivendi ratione regalis sui animi fiduciam, ac existimationem promeruerit; gratiæ etenim tanti honoris perennis recordatio debito, quo tenemur Regi nostro ex corde obtemperandi, atque ipsum tamquam Patrem diligendi, stimulos addat majores, ut omnipotenti Deo pro ipsius, ac totius Regalis suæ Familiæ conservatione preces nostras incessanter offeramus.

Et

Et quamquam naturalis nostræ subjectionis conditio impares nos reddat, ut gratum animum nostrum, vel magnificis muneribus, vel aliis officiis tanto Monarcha dignis comprobemus, ipsius tamen regalem beneficentiam ex parte saltem possumus compensare, nostrum scilicet studium in Sacras Scripturas, unde omnes veritates ad fidem, atque ad mores (1) spectantes dimanant, omni conatu intendendo, ac inde assequamur, ut inter sapientes, qui sanitas sunt orbis terrarum (2) numerari mereamur, rectumque ordinem à providentissimo Deo creatore ad Regnorum in terris conservationem constitutum doctrina, & exemplo constanter propugnare.

Hujusmodi autem studium sine erroris periculo, imò cum magno profectu, ad publicam populorum tranquillitatem, ad debitam erga nostrum Monarcham venerationem, atque ad majorem Dei gloriam promovendam perficietur, si vestigiis firmiter adhæreamus magni illius Ducis, quem divina nobis concessit providentia, ut ad veritatis arcana (3) aditum aperiret: magni illius Ecclesiæ Doctoris, qui Sacrarum Scripturarum mysteria nobis pervia fecit, dispensandi verbi Dei primus post Apostolos (4) refulgens gratia: illius summi disciplinæ morum Magistri, qui omnibus omnia factus cunctorum conditionibus sapientissimè consulendo commissam sibi à Deo naviculam in hoc procelloso mundi pelago (5) provide gubernavit: magni scilicet Augustini Parentis nostri, quem in omni controversia nostrum est consulere, si utiles in Domo Dei, prout nostrum exigit Institutum, esse velimus; uti & ipsum circa calamitates, quibus olim Hispaniæ præmebantur (6), consuluit Orosius; quod & nos eo facilius præstare valemus, quod ubique jam nobis est præsentissimus in suis mirabilibus scriptis, quibus non modo contra errores, qui per id temporis grassabantur, sed contra eos quoque, qui futuris sæculis fuissent prodituri (7) validissimum nobis antidotum præparavit. Ut verò Ordinis nostri alumnos ad

sa-

(1) In iis enim, quæ apertè in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi. Aug. lib. 2. de Doctr. C. cap. 9.

(2) Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum. Sap. cap. 6. v. 26.

(3) Habemus ducem Augustinum, qui nos in ipsa veritatis arcana, Deo jam monstrante perducatur. S. Alip. inter Op. Aug. lib. 3. contra Acad.

(4) Latatur cum Apostolis, quorum plenus spiritu, quæ prædixerunt mystica, fecit nobis pervia, post quos secunda dispensandi verbi Dei primus refulsit gratia. Eccl. in Festo S. Aug.

(5) Status fidelium universæ christianæ

vita moribus decoravit ..... cunctorumque conditionibus salubriter providendo tuam in hoc mari naviculam Augustinus provide gubernavit. Eccl. in Præf. Missæ Festi.

(6) Ecce venit ad me ..... Orosius ..... utile vas in Domo Dei esse desiderans, ad refellendas falsas, perniciosasque doctrinas, quæ animas Hispanorum multò infelicius, quam corpora barbaricus gladius, trucidarunt. Aug. Ep. 166. aliàs 28.

(7) Quæcumque monstra protulit Orcus, quot inde proferet, libris repressa concident, quibus fides innititur. Eccl. in Hymn. Festi.

saluberrimum operum tanti Magistri studium adhortemur, ac magis magisque excitemus, jam dudum aliam encyclicam meditatur ad eos propediem dirigendam, in qua de hac re, quam ad nostræ professionis summam pertinere arbitramur, vos plenius instruemus. Interim ex corde precamur, *ut fidelis Deus, per quem vocati estis in Societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri* (1) vobis impertiri dignetur *delectationes in dextera sua usque in finem* (2).

(1) Ad Corinth. cap. 1. v. 9.

(2) Psalm. 15. vers. 10.

---

---

## MATRITI.

---

---

Typis JOACHIMI DE IBARRA.

---

---

*Superiorum Permissu.*